



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quinto Decretalium. In Quo De Judicio, Seu Ordine Judiciario criminali, nec non de criminibus Ecclesiasticis, & secularibus ... agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1677

Titulus. II. De Calumniatoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98302](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98302)

§. III. An pendente inquisitione, ad denunciationem contra Superiorem, seu Prælatum à subditis factam, Superior procedere possit in causa illa contra subditos?

Sententiæ excommunicationum, suspensionum, vel interdicti latæ, post denunciationem per Abbatem denunciatum pro ipso in Monachos denunciantes, vel adherentes eisdem, relaxari, & spoliati, pendente lite, ab Abbate restitui, & Judices, sine strepitu Judicii, inquirere debent in personas, & observantias regulares, & corrigere ac reformare, tum Caput, tum membra, & relaxare juramenta de tacenda veritate: sed lite pendente, Monachi non eximuntur ab Abbatis obedientia, ita tamen ut lis non impediatur, & manifestentur Abbati denunciato dicta testium, n. 96. Declaratur, n. 97. & 98. Præterea si Prælatus denunciatur suspectus de dilapidatione bonorum Ecclesiæ, commissio faciendæ est super veritate inquirenda, & pendente negotio, ei interdicti debet potestas quocunque modo alienandi bona Ecclesiæ, n. 99. Declaratur, n. 100.

§. IV. Quomodo procedendum sit, quando crimen opponitur per modum exceptionis, & quomodo super crimine notorio?

ASSERTIO I. Denunciator criminis non se inscribit ad eandem penam, si non probaverit, quia denunciatio non fit ad penam, sicut accusatio. Si verò excipiendi obijciatur crimen, distinguendum est, quare opponatur, & quando; si enim obijciatur, ut ab accusatione, vel testimonio aliquis repellatur, non est necessaria inscriptio: sed cum excipitur, ut quis ab officio, vel beneficio excludatur, si ante confirmationem obijciatur, non cogitur se inscribere. Si verò post confirmationem opponitur, quia etiam ab obinendo repellit, & privat obento, secundum arbitrium Judicis, est puniendus, si defecerit in probatione: quando verò agitur de crimine per modum exceptionis, potest intervenire Procurator, n. 101. Declaratur, n. 102. & seq. Aff. 2. In notoriis criminibus, quando & crimen est notorium, & malefactor, non est necessarium, ut servetur ordo juris, neque accusator requiritur, n. 104. Alius modus procedendi criminaliter est, si reus in flagranti delicto sit deprehensus, n. 105.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQVIS.

- | | |
|------------------------------|------------------------------|
| c. 1. n. 5. | c. 16. in princ. num. 93. §. |
| c. 2. n. 91. & seq. | Cum autem, n. 101. & |
| c. 3. n. 13. | duobus seqq. |
| c. 4. n. 41. | c. 17. num. 65. & duobus |
| c. 5. n. 16. | seqq. |
| c. 6. n. 24. & tribus seqq. | c. 18. n. 68. & seq. |
| c. 7. n. 7. | c. 19. n. 70. & seq. |
| c. 8. n. 39. & seq. | c. 20. n. 94. & seq. |
| c. 9. n. 104. | c. 21. in princ. num. 79. |
| c. 10. n. 8. | & seq. §. Terria. n. 81. |
| c. 11. n. 10. & duobus seqq. | & seq. §. Quasivisti. |
| c. 12. n. 37. & seq. | n. 83. & seq. |
| c. 13. n. 9. | c. 22. n. 72. & seq. |
| c. 14. n. 21. & seq. | c. 23. n. 44. & seq. |
| c. 15. num. 30. & duobus | c. 24. n. 55. & pluribus |
| seqq. | seqq. |

c. 25. n. 52. & seq.

c. 26. n. 96. & seq.

c. 27. & ult. num. 99. &

seq.

IN SEXTO.

c. 1. n. 85.

c. 2. num. 62. & duobus

seqq.

TITVLVS II.

DE CALUMNIATORIBUS.

§. I. Quis dicatur Calumniator, & quid sit calumniari, & quali penâ sit afficiendus?

ASSERTIO I. Accusatores, & denunciatores tribus modis delinquant: vel enim calumniantur, vel prævaricantur, vel tergiversantur. Calumniari est falsa crimina intendere in iudicio. Est autem calumnia duplex, vera, si quis falsum crimen scienter alii obijciat, vel præsumpta, si quis crimen obiectum non probat, n. 1. Prævaricari est, vera crimina abscondere. Tergiversari est omnino ab accusatione desistere, n. 1. Aff. 2. Calumniator, qui scienter alium accusavit, punitur, penâ arbitrariâ, quamvis olim penâ talionis, n. 2. Subdiaconus, qui per calumniam accusat Diaconum, privandus est officio Subdiaconatus, & verberandus, ac in exilium mittendus, quia quando non potest imponi pena ordinaria, debet illa commutari in aliam, ad arbitrium Judicis. Verum pena publicæ verberationis in Clericis hodie non usurpatur, n. 3. & 4.

§. II. An, & ob quas causas, excusetur Calumniator à calumnia, ejusque penâ, & an etiam denunciator puniatur tanquam calumniator, si in probatione criminis deficiat?

ASSERT. I. Etiam in causis criminalibus accusator excusatur à calumnia, si errore probabili ductus accusavit, et si in probatione criminis defecit, n. 5. Quenam in specie sint hujusmodi causæ excusantes, n. eod. Quæ tamen solum excusant in dubio, n. eod. Aff. 2. Denunciatores publici non tenentur probare crimina, quæ denunciant, privati verò tenentur, num. 6. Qui denunciat crimen, si in probatione deficiat, etiam de Jure Canonico puniendus est penâ extraordinariâ, & ad arbitrium Judicis, num. 7. & 8.

IN ANTIQVIS.

c. 1. n. 3. & seq.

c. 2. n. 7. & seq.

TITVLVS III.

DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO spiritualibus exigatur, vel promittatur.

SECTIO I. De Simonia in genere, ejusque divisione.

§. I. Quid sit Simonia?

Simoniam est studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Declaratur, n. 1. & 2. Simonia est species quædam sacrilegii adversus virtutem Religionis, & alias etiam speciales deformitates in se continet, & est ex genere suo peccatum mortale, nec potest ob parvitatem materiæ fieri veniale, n. 3. Est etiam interdum contra iusticiam, n. 4.

§. II. Quotuplex sit Simonia?

Simoniam aliam est, quæ Jure naturali ac Divino est prohibita, & quæ repugnat: aliam, quæ solum Jure humano, & Ecclesiastico, n. 5. Simoniam solo Jure Ecclesiastico prohibita, non est verè ac propriè dicta

Yyy 3

Simonia